

UM
RUM
E
EINZIA
UM



DIVITIARUM
EVANGELICARVM

Disquisitio Decima sexta

PRÆSIDE

CHRISTIANO GUEINZIO

Gymnafii Salani

Rectore


Respondente

FRIEDERICO Kühn J.

Dobreborano Saxonum

Dominica Quinquagesima.

A. O. R. cl. lxx. iiii.



HALLIS SAXONUM

*Prelo Heredum Melchioris Oel-
schlegelij*

*Serenissimi Potentissimiq³ Principis ac
Domini*

Dn. JOHANNIS GEORGII
Electoris Saxoniae, Juliae, Cliviae &
Montium Ducis &c.

*Ab armis nobilissimo bellicaq³ virtutis splen-
dore corusco multarumq³ rerum ex-
perientia spectatissimo*

Dn. DANIELI Knoxen / Tran-
dorffiani regiminis Praefecto summo fe-
licissimo.

*Dn. Patrono & Promotori omni
a viternum honore colendo*

*Hoc exercitium Theologicum in
debita observantia monumen-
tum Favoris incitamentum,*

D. O. C.

FRID. KHUN. Resp.



ANALYSIS
 EVANGELII

Dominica Esto Mihi

Luc. 18. v. 31. usq; ad finem.

ANTELOGIUM.



*H*abetur Tob. 6, 2. dum lo-
 turus Tobias pedes victor e-
 merfit balena inhians devoratura
 ipsū; sed monitus ab Angelo appre-
 hēdit branchias ejus, eāq; ad se tra-
 xit, exenteravit & morbis medendis ut cœcita-
 ti, adservavit. Piscis Christus est, exenteratus
 durissima & dirissima passione, etiam submini-
 stravit, ut collyrium fieret cœcitatibus humane.
 Probat utrumq; pericope Evangelica, quia de
 utroq; agit. Habetur siquidem in ea.

THESIS I.

*P*artim de passione vaticinatio, ubi re-
 censetur tum causa impulsiva, qua est

B b

Hic-

Hierosolymam migratio v. 31. In quo ostenditur effectus Christi continens obiectum: duodecim. Nempe Apostolos per synecdochē generis pro specie, quos ipse immediatē ditorum & gestorū suorum testes vocaverat Matth. 20, 2. Act. 1. 8. quippe adhuc Judas erat in duodecim, quoniam nesciebat, quid esset factururus, habet Origenes homil. 12. in Matth.

2. Et modum, quem Lucas sub vocabulo: assumens, includit: Matthaeus verò c. 10. 17. expresse ponit seorsim ipsos assumisse, Secutum enim erat mysterium passio, inquit Theophyl. in Marc. quod familiarioribus duntaxat erat revelandum. Et propterea in via omnes praecedit, volens à multitudine segregare discipulos: simulq; ostendit quod ad Passionem occurrat. Chrysost. Hom. 66. in Mart. subdit propterea seorsim de passione cum discipulis contulisse, quia non oportebat hunc sermonem divulgari pluribus, ne turbarentur. Postquam enim per tres & dimidium annum docuisset & miracula edidisset, tandem opus redemptionis erat adimplendum. Vt discamus tela praevisa minus ferire, dum omnia repentina, quod Cicero loquitur l. 3. Tuscul. quæst. sunt graviora: praemeditatio autem futurorum lenimē

ma-

malorum: Et ut notemus illos tantum esse veros Christi discipulos, qui sese à mundo separant: Apostolicaq; doctrine sequaces, tantum dignos esse humane redemptionis & participationis Sacramentorum, uti loquitur Radolphus Ardens. Et ipse quidem precesit, ut notat c. 10. 2. quia dux & caput, ut Hebr. 10. 2. ipsum nominat, & Petrus 1. Petr. 2. 1. ut premamus vestigia immense caritatis 1. Joh. 5. vestigia calamitatis Matth. 10, 18. paupertatis, 2. Cor. 8, 9. & humilitatis Matt. 11, v. 29. Marcus etiam addit factum fuisse in via, ubi digressus à Bethabara ante Lazari resurrectionem sex diebus ante Christi ingressum rogium, uti notat Buntingius.

3. Et insimul recenset passionis textum: In quo causa efficiens: Christus ait ad illos Vt discamus ipsum predixisse passionem propter duo, secundum Theophylactum; unum ut ostendat quod non invitatus, vel ut purus homo mortem ignorans, sed sciens & voluntarie passus: nam si nolisset pati, evitasset, quæ præsciebat: Eorum qui præsci non sunt est capi secundum ut doceat eos leviter ferre quæ evenitura ut pote qui audierunt, & non repente inciderant, simulq; docuit de quibus potissimum sit colloquendum: non de vanis, quia reddenda

est ratio de quolibet verbo otioso, sed de utilis-
 bus, ut monet Apostolus Eph. 4, 29.

4. Et formalis, ubi premittitur vox atten-
 tionis: Ecce: quâ ad sedulam & attentam co-
 rum, qua dicturus erat, auscultationem Apo-
 stolos excitare voluit.

5. Et exponitur terminus generalis: as-
 cendimus Hierosolymam. Ut qua sita erat in
 loco editiore Ps. 87, 1. completebatur enim
 montes quatuor, montem Sion versus meridi-
 em, montem Acra versus Septentrionem, mon-
 tem Moria versus orientem, montem Besetha
 versus Occidentem. Et haec tenus quidem as-
 cendit aliquoties, sed ad nuptias; in montem
 Thabor, sed ad transfigurationem & vitam aeter-
 nae delicias, in deserti montem, sed ad miracu-
 sam populi cibationem, in navigium; ad nunc
 ascendit Hierosolymam, ad justissimum passio-
 nis spectaculum. Loquitur verò in plurali,
 ut discamus, etiam nobis ascendendum esse, si
 velimus coelestem Hierosolymam ingredi. De
 scendere facile est, de ingluvia ad libidinem, de
 libidine ad cupiditatem, de cupiditate ad avari-
 tiam, & ita de vitio in vitium; sed valde labo-
 riosum est, fratres, ascendere ad abstinentiam,
 de abstinentia ad continentiam, de continen-
 tia ad mundi contemptum, & ita de virtute
 in virtutem.

6. **Specialis: Hierosolymam: quia voluit**
 Christus pati, non Betlehemi, ubi Herodes in-
 sidiabatur Matt. 2, 13, nec Nazarethi, ubi sym-
 patriote ipsum de monte precipitare volebant
 Luc. 4. 29. sed Hierosolymis, partim ob vatici-
 niū Joelis, quod octoginta annis ante Christum
 predictum dum ait: in monte Sion & Jerusalem
 erit Salvatio 2, ob Isaaci typum, Epistola ad
 Hebr. 11. v. 19. dum Isaac in illo loco immolari
 debebat, ubi Hierosolyma edificata, ut ita in I-
 saaco tantum sit adumbratum, quod in Christo
 impletum Augustin. sermon. 3. de tempore
 l. 20. 3. ob munus Propheticum, quia jam
 Hierosolyma alios Prophetas occiderat, Matt.
 22. 3. ipse etiam Propheta, itaq; perire non pote-
 rat extra Jerusalem Luc. 13, 33. & deniq; ob to-
 tius orbis conspectum; erat enim urbs amplissi-
 ma & florentissima Orientis etiam secundum
 Plinium l. 5. natur. hist. c. 23. ut discamus per
 passionem pacem nobis esse acquisitam.

7. **Tum eventus, qui continet scopum:**
 & consummabuntur omnia, secundum vati-
 cinia. Ut cōsummarentur ergo ascēdere voluit
 Ut discam⁹ predicta omnia, quae de Christo vi-
 demus esse adimpleta, habet Lactantius lib.
 4. de vera sapientia c. 10.

8. **Et modus, quoad instrumentum: per**
 Pro-

Prophetas: *velut Syrus habet, in Prophetis, siquidem agunt Prophetae de Christi passione, morte & resurrectione, partim perspicuis oraculis, partim typorum adumbraculis.*

9. *Per objectum: de filio hominis. Quia ita dicitur ob humanae naturae veritatem Ps. 8, 5. Dan. 7. 13. Matth. 8, 20. Act. 7, 56. quia primo in utero Mariae virginis verus homo est conceptus. Luc. 1, 3. & natus Luc. 2, 7. similis hominibus factus Phil. 2, 7. Non autem nudus filius hominis fuit, sed filius Dei vivi Matth. 16, 16 nam Christus nomen personae est, non unimodè juxta Damasceni regulam, sed duarum naturarum significativum Ideoq; quae de filio hominis dicuntur, verissimè etiam de filio Dei incarnato, propter personae identitatem, & hypostaticam unionem, ut habet Damascenus lib. 3. Orthodox fidei cap. 3. ita ut nihil assumpto desit divinum, nihil assumpti humanum uti loquitur Leo l. 4. de passione c. 2. sic ipse in ipso passionis tempore filium Dei se profutetur Matth. 26. 63. & ab aliis esse perhibetur Marc. 15, 39. Ita scilicet non est qui reficiat, habet Bernh. lib. 2. de natali Dom. nisi qui fecit. Et Augustinus serm. 176. de tempore; mortem nec solus Deus sentire, nec mortem superare potuisset, at in carne pas-*

passus est, Eph. 2, 15. 1. Petr. 3, 18. in corpore
 carnis sue Colos. 1, 22. Cyrill, in exposit. ana-
 them. 12. Dicimus Deum passum, non quod
 Deus verbum in sua natura clavorum transi-
 xionem susceperit, sed quia corpus illud, quod
 ipsius factum, sustinuit; inerat enim in eo cor-
 pore, quod patiebatur Deus, qui pati non pote-
 rat. Et Leo inquit serm. 15. de pass. Domi-
 ni c. 3. Quaecunq; verbum caro patiebatur,
 non verbi poena erat, sed carnis, cuius injuria
 & supplicia etiam ad impassibilem redunda-
 bant; ut ei merito dicantur illata, quae in ipsius
 corpore sunt admissa, cum sit impium & sacrile-
 gū ut habet Vigilus l. 5. Eutychem, ea, quae sunt
 propria carnis per exceptionem proprietatis ali-
 enare a verbo, & quae sunt propria verbi eadem
 lege alienare à carne, cum utrumq; in Christo
 sit commune, & Christus utrumq;. Ut disca-
 mus redemptionis nostrae certitudinem & di-
 gnitatem.

10. Et passionis futurae confirmatio, per
 inductionem, ubi mitiorum relatio, v. 32. In
 quo ea, quae extra corpus; Tradetur enima
 gentibus, ita praedictum Zach. 11. 12. ubi per
 synechdochen generis pro specie intelli-
 gitur Pontius Pilatus & milites Romani Tradi-
 tus vero est per discipuli avaritiam, Pharisao-

rum invidiam, Pilati injustitiam, & tamen etiam juxta voluntatem paternam, caritatemq³ propriam. Nihil autem abominabilius erat quam homo gentilis, cuius nec ades libenter ingrediebantur Ioh. 8. 28. Factum hoc est in nostrum solacium, cum ut Augustin. c. 17. de Catechumenis rudibus loquitur, à peccatoribus pro peccatoribus passus.

11. In corpore, quoad verba: & illudetur: Hoc predictum Psal. 22, 4. Es. 50, 6. & 53. 54. & impletum in aula Caiphe & Herodis, in pratorio, in cruce. Hinc Tertull. lib. 4. contra Marcionem inquit, Christus omne scriptum passionis implevit.

12. Et contumeliis afficietur. Quae est injuria major, uti illusio puerile ludibrium. Notantur itaq³ non modo scommata in Christum, sed & colaphi & bacillorum laciones, quibus omnibus Christus exercitus.

13. Quoad facta: conspuetur. Uti testatur passionis historia, predictumq³ erat Psal. 69, 8. Ut discamus, si nobis contingant talia, non esse nova, cum aequè Christus passus, interim Christi ludibrium nostrum est refectorium, ut illusori illudere possimus, juxta Cyrillum.

14. Et graviorum enumeratio vers. 33.

In quo directè ignominiosa flagellatio: flagellantes occidēt eū. *Predictū de flagellatione.* Es. 53, 3. *Impletum in pratorio Johan. 19, 1.* Verè enim nostri causa est casus, dum eius vibicibus sumus sanati, 1. Petr. 2, 24. *Predictum de crucidatione* Psal. 22, 16. Es. 53, 10. uti etiam prefiguratur in serpente aeneo, Num. 21, v. 9. & impletum Matth. 20, 19. de quibus omnibus August. de tempore serm. 18. inquit: Si mortis genus exhorrescit infirmitas, nihil illo tempore fuit ignominiosius quàm mors Crucis. Nec anima dolores & cruciatus abfuerunt, dum tristis ea fuit, Matth. 26, v. 38. dum cœpit angi gravissimè Marc. 14, v. 33. dum sudorem sanguineum emisit Luc. 22, 44. ut discamus, quanta sit peccati fœditas, & quanta sit magnitudo amoris divini. Mibi enim patitur, mihi tristis est, mihi dolet, inquit Ambros. l. 2. de fide & grat. c. 3. Ergo pro me & te doluit, qui pro se nihil habuit, quod doleret. Totus itaq; nobis, addit Bernhard. de pass. Dom. figatur in corde, qui totus pro nobis fixus est in cruce. Unde non est quod ringamur & angamur, si aliquid etiam patiamur, innuit Bernhard. in sentent. c. 15. dum inquit: Nihil adeò grave est, quod non æquabiliter toleretur, si passio Christi in memoriam revocetur.

15. Consequenter : & die tertiâ resurget. Ubi Et copulativa pro adversativa, sed usurpatur : ostenditurq; latissima passionis catastrophe, uti prædictum Psalm. 16, 10. & præfiguratum Jon. 2, 11. & adimpletum, sicuti restatur historia resurrectionis. Ut discamus, post angusta sequi angusta, post tristitias letitias, post crucem lucem.

16. Quoad Apostolos, quorum significatur ignoratio vers. 34. In quo summam : & ipsi nihil horum intelligebant. Ut qui maximè videre desiderabant Christum, ejus mortem audire non potuerunt; & quum non solum hominem innocentem, sed etiam verum Deum esse sciebant, mori non putabant. Adeò, ut quoties aliquid de sua passione diceret, hoc allegoricum dictum putarent, ut habet Glossa ordinaria.

17. Explicatim : & verum istud absconditum ab eis : ut ostendatur naturalis cecitas, cum simus ad credendum stupidi Luc. 24, 25. nec percipimus ea, que sunt Spiritus Dei 1. Cor. 2, 4.

18. Et non cognoscebant dicta. Ubi per synonymicam amplificationem diversis verbis ter idem dicit, ut habet Chrysostomus hom. 60. in Matth. Quò ostendat quomodo affectus impe-

impediat intellectum. Concionatus quidem fuerat Christus de passione sua vel quater 1. in via Caesarea Philippi Matth. 16, 2. in monte Thabor, Matth. 12, 3. post lunatici sanationem ibidem, & nunc in itinere; ut quidem passionem crediderint, passionis verò mysterium ignoraverint. Non quod verba Christi obscura, sed quia illi per preconceptam opinionem decepti; Error enim cum virtus creditur, difficulter sanatur, habet Gregor. Magnus l. 32. c. 12. in exposit. moral.

19. Sic fuit de passione; sequitur de cæci sanatione, cuius recensetur partim modus, ubi premittitur absolutè occasionis allegatio vers. 35. In quo circumstantia tum temporis: factum est autem cum appropinquaret. Et ita venit ad miraculum, cum Apostoli non intelligunt mysterium, habet Gregorius. Intelligiturq; cæcus sanatus in aditu urbis, ut distinguatur ab eo, qui sanatus in exitu urbis Marc. 10. v. 46. siquidem Matthæus duorum cæcorum facit mentionem; Lucas autem & Matthæus, quod Lyia dicit, tantum unum ponunt, quia ille vel importunius clamavit, vel famosior fuit. Christus verò miraculum hoc cæci obiter in viâ operatus est, ut & transitus eius nobis utilis sit.

fit: ac doceamur quo semper & apud omnes utiles simus, & nunquam ignavi, habet Theophylactus. Videatur Augustin. de consens. Evang. l. 2. c. 65.

20. Et loci: in Jericho. Quae fuit civitas munitissima in tribu Benjamin tribus fere miliaribus Jerusalem distans, dicta vel ab odoris suavitate, quia ibi multum balsami, unde & urbs palmarum dicitur Deut. 34. 2. à Josuâ eversa Jos. 6, 11. ab Hicele adificata, 1. Reg. 16. 34. Hodie vix octo domos & villa vestigia habet, teste Adrichomio. Dum igitur conditor noster appropinquat ad Jericho, cæcus lumen recipit, quia dum divinitas defectum nostræ carnis suscepit, humanum genus lumen, quod amiserat, recepit, habet Gregorius hom. sup. Evang. in Exord.

21. Materia, ubi morbus: cæcus quidam: qui non nominatur. Cæcum autem est genus humanum, quod in parente primo expulsus à paradisi gaudis claritatē supernæ lucis ignorans, damnationis suæ tenebras patitur habet Gregor. homil. dicta. Et singularium quidem partium corporis noxa communiter molesta est; oculorum verò privatio, vitam facit minimè vitalem, huic Sol astris frustra stipatus præluceat, Luna illustrans noctem,
hunc

hunc à caligine liberare non valet, non purpurascens undisq; ridens mare, non tellus pratis & floribus germinans, vernisq; coronata gratiis jucunditatem affert ullam; sed est contretatio quedam, vita sic condemnata, vita nocte unâ commensa, mundus invisibilis, artificii mundani pulchritudo ipsi incognita, habet Basil. Seleuc. Orat. 36. unde diversos mundus miseros complectitur, inter quos cæcus primum fertur habere locum. Ut discamus oculos asservare fideliter.

22. Et situs: sedebat secus viam. Merito, quia Christus via: si quis jam in ipsum credit, juxta viam sedet, habet Gregor. ut discamus, cum viam ignoremus, tantum juxta viam sedere.

23. Et mendicans: Quod aliàs videtur morte pejus, Sir. 40. Quamvis verò in Judæa mendici esse non debuerint, tamen adeò collapsa erat pietas, ut nihil amplius curarent; Et ita nos cæci sumus in spiritualibus Eph. 4, 18. juxta viam erramus ut oves Esa. 53. 16. mendici sumus Apoc. 3. v. 13.

24. Et impulsivæ causæ denotatio v. 36. In quo objectum tum prætereuntium: Audiens autem turbam prætereuntem. Ex qua intellexit magnam hominum adesse multitudinem,

dinem, tum ex vocum murmure, tum ex pedum strepitu; nam cum oculi ipsi essent mortui, habet Basil. orat. allegat. aures necessario, oculorum vicē corpori subserviebant. Et ita nos cæcos audiamus, qui multis cernentibus excellentiores, habet Chrysost. hom. 62. in Matth. Nam quamvis nec ductorem habere, nec videre ipse posset, summo tamen studio ac contentione ad ipsum venire conabatur.

25. Effectum: interrogavit quid esset? Opinabatur siquidem Principem aut magnatum quendam transire, à quo stipem petere posset; Sunt alias etiam cæci eò, quod oculis careant, in inquirendo curiosi.

26. Respective quoad antecedens, est de interrogatione confirmatio v. 37. in quo forma; nunciaverunt autem ei. Cumq; in Greco habeatur ἀπήγγειλαν letam quoque ipsi fuit nuncium. Ut discamus, miserabilibus personis non tristitia, sed lata nuncianda esse, quo habeant consolationem.

27. Materia: quòd Jesus Nazarenus præteriret. De quo cum inter alia audivisset, ex communi fama, quod multos cæcos sanasset, cum primis cæcum illum natum, Johan. 1, 32. cetera neglexit, ad ipsum respexit. Et ita clausi sunt oculi cordis, & transit Jesus, ut clame-

mus,

mus, habet August. serm. 18. de verbo Dom.
 Agit enim transitoria Jesus, dum pro nobis
 temporaliter percussit ea, habet Idem serm.
 53. de temp.

28. Consequens est, tum cæci incla-
 matio v. 38. In quo summam modus: Et
 clamavit dicens: quod factum clamore ma-
 gno, ut Græcus textus innuit, quia magno la-
 borabat morbo. Ut discamus, in miseris quoque
 esse clamandum.

29. Explicatim, quoad objectum, per
 appellationem: JESU, Quod nomen Sal-
 vatoris & Redemptoris, quod nomen salutis.
 Ut discamus, non alium, sed IESUM in vo-
 care, dum in ejus nomine exaudimur. Johan.
 15. 23. omnesque petitiones fiunt ita. 2. Cor. 1. 10.

30. Quoad descriptionem: Fili David.
 Dixerant quidem IESUM Nazarenum
 præterire: sed magnificentius ait, dum & IESUM
 appellat, dum & Filium Davidis jux-
 ta promissiones Psal. 132. 10. nominat. Ut di-
 scamus religiosum cultum adorationis Christi
 etiam secundum humanam naturam tribuen-
 dum esse, unâ adoratione, ut habet Damasc.
 l. 3. c. 8. Orthod. fidei, & Cyrill. anath. 8.

31. Quoad effectum: miserere mei.
 Atque ita discendo miserere, declarat, quod di-

vino-

vinorem quandam sententiam de illo habeat; Et non purum hominem censeat, ait Theophyl. in Luc. Solus enim D & I proprium misereri in miseriâ hominum. Est itaq; hic cæcus corpore, sed mente oculatior omnibus Pharisæis. Ideò Chrysostom. exclamat; Quis te docuit ô homo? nunquid perlegisti libros? qui privatus fuisti luminibus: unde ergò nosti luminare mundi? ut discamus, nullos excludi à cognitione DEI, modo velint.

32. Et prætereuntium increpatio v. 39. In quo de comitibus: & prætereuntes increpabant eum, ut taceret. Quæ erat gravis tentatio, qua ipsum Diabolus deterrere satègit. Origines duplicem facit causam increpationis i. hostium Christi, qui agrè ferebant, quod cæcus Dominum appellaret Davidis Filium; novit enim adversus miracula insurgere invidia, habet Basil. orat. dicta 2. amicorum, qui putabant Christum contemptibiliter vocari Filium Davidis. Ita quid designant isti, inquit Gregorius, qui IESUM venire ad nos prohibent, nisi desideriorum carnalium turbas tumultusq; vitiorum, quod priusquam IESUS ad cor nostrum veniat, tentationibus suis cogitationem nostram dissipant, & voces cordis in oratione perturbant; nempe qui diligunt

ligunt seculum, contradicunt & prohibent clamantes, id est, prohibent bene operantes, habet August. serm. 18. de verbo Domini, Ut discamus, non prohibere, sed miserie afflictorum succurrere.

33. Et de cæco, quoad modum: Ipse verò multo magis clamabat. Quod intensissimâ voce factum esse, Græcum $\chi\alpha\lambda\epsilon\upsilon$ innuit. Ut discamus, quanto graviori tumultu cogitationum premimur, tanto orationi ardentius insistere debemus, habet Gregor. Et ad Eū omnes tam vocibus quam moribus clamemus, habet Augustinus serm. 51. de temp.

34. Quoad affectum: Fili David, miserere mei. Constans enim & fortis animus, quò magis vetatur, eò altius provehitur; & Christus eum carpi patiebatur, habet Chrylost. hom. 62, in Matth. ut omnes anime fervorem agnoscerent facilius, curationeq; dignum esse crederent. Ut discamus DEVM nō semper exaudire preces nostras, non ut neget dona sua, habet August. serm. 8. de verbo Dei, sed ut commendet, ut clamantes probet, ut adrogandum provocet, ait Hieronym. cap. 1. Habac. Non ergo cessemus petere, si vel tardior DEVS adtribuendum: scientes DEVM à nobis hoc pacto maxime posse placari Et amat

Cc

DEVS

DEVS instantiam & importunitatem in prece, habet Hugo in institut. Monasticis c. 3.

35. Factum: ubi respectu Christi partim aphoristicè est tanquam causæ efficientis, ut cæcus adducatur, ordinatio v. 40. in quò tùm situs: stans a. I E S U S. Et ita precibus sistitur homo, non aliter ac sol Ios. 10. v. 15. neq; pertransit, sed stat, quia cùm adhuc turbas phantasmatum in oratione patimur I E S U M transeuntem sentimus, habet Gregor. cùm verò orationi vehementer insistimus, stat I E S U S ut lucem restituat. Transire humanitatis est, stare divinitatis, E. Dominus transit, ut sonet vox fidei, ut stet I E S U S id est, immutabilis D E I sapientia, & majestas verbi D E I aperiatur oculos, habet August. serm. 18. de verbo Domini.

36. Et effectus: iussit illū adduci ad se. tùm cæci causa. Ne putetur ille cœcitatē sinxisse, tùm increpantiū gratiā; ut illi confundantur. Ita vocat ad se, principia beneficii ostendens. *Vinam & nobis clamantibus vocet nos!* habet Origenes cap. 13. in Matth. quasi accendens de precepcionibus nostris.

37. Tùm, ubi appropinquavit: interrogavit illum. Non quasi nesciret, quid peteret, sed ut confessionem coram populo ederet, & ut

Et ut adstantes scirent non petere pecuniam, sed divinam efficaciam, habet Hilarius.

38. Dialogicè est communicatio vers. 41. ubi Christi interrogatio: quid tibi vis faciam? Nos interrogamus, quia nescimus, habet Ambros. l. 8. in Luc. c. 18. ille quia noverat, & interrogat, ne quis scilicet putet, aliud ipsum petisse, & aliud illi prabuisse, nam fortasse insipienter talia fingere posset invidia, habet Theophyl. in Luc. tum ut in imitationem alios concitet, addit Chrylostomus hom. alleg.

39. Et cæci postulatio: DOMINE ut videam. Quid enim cæcus à fonte lucis, nisi lucem querat? ubi Græcum ἀναβλέψω compositum usurpatur pro simplici, quemadmodum Matth. II. vers. 5. aut sit potius ab ἄνω suspicere, quemadmodum Luc. 19. v. 5. Similiter etiam usurpatur de cæco nato Iohan. 9. v. 10. Marcus habet Rabboni, ut ostendat cæcum CHRISTO maximum honorem exhibuisse. Nam Rab magnum est, si quis ita appelletur, Rabbi magus, sed Rabboni maximum, ut notat Angelus Caninius. Imitemur itaq; & nos cum quem & corpore audivimus & mente illuminatum; & non falsas divitias, non terrena, non fugitivos honores à

46

DOMINO, sed lucem habebimus, quam videre cum solis angelis possumus, quam nec initium inchoat nec finis angustat, ad quam profecto vitam via fides est, habet Chryl.

40. Et quoad effectum: Est visus reparatio v. 42. in quo forma: & **JESUS** dixit illi, respice. Ita commotus misericordia, non distulit auxilia. Ut discamus, misereri aliorum. Si ergo videris pauperem, inquit Chryl. hom. II. ad Ecclesias, ne pertrans eas, sed statim intellige, quis fuisti aut quid nos velles omnes facere, si tu esses in illo. Et cōfestim accusatio adversus interpellatam: cur non operatur inquis? cur vacans pascitur? Dic mihi, tu per operationem habes, quae habes? nonne ex hereditate paterna accepisti? si verò etiam ex opere & labore? num ideò exprobras alteri?

41. Et impulsiva causa; fides tua servavit te. Vide inquit Theoph. quam alienus sit ab arrogantiâ; fides tua, inquit, te salvum fecit. Ut discamus ex hoc, quod quando cum fide petimus, nos exaudiri. Atq; ita, quoties alia petimus, & alia accipimus, manifestum est, quod nō bene ac fideliter petamus. Qui autem non credit, non audiet ab illo, fides tua te salvum fecit, habet Tertull. l. 4. adversus Marcionem cap. 36.

42. Re-

47. Respectu cæci, est ejusdem celebratio, v. 43. in quo directè tum de ipso respectu subjecti: & confestim vidit, seu ut Syrus habet, eodem momento. Et quis Prophe-
tarum ita sanavit, tali potestate, habet Theo-
phyl. *Ut discamus vocis divina potentiam.*

43. Et respectu effecti, tum sequebatur illum. Non ergo rediit ad mendicitatis se-
dem, sed postquam Dominum Hierosolymam
comitatus manuum labore victum quasi vultu:
aliter non videret, nisi sequeretur Christum,
habet Ambros. l. 8. in Luc. *Sequamur & nos
salvatores; sequamur & nos, inclinantes ad nos
manus habet Basil. orat. 30. Non enim sufficit
videre, sed & oportet sequi.*

44. Tum, glorificans Deum, Et nisi Do-
minum predicaret & glorificaret, ipsum secu-
tus non fuisset. *Ut discamus post liberationem
Deo prestare gratiarum actionem.*

45. Consequenter: & omnis populus
videns dedit laudem Deo, tum ob missionem
Messie tum ob præstitum miraculum. *Ut disca-
mus in omnibus pro acceptis beneficiis gratias
agere. siquidem invitat ad magna, qui
gratus suscipit modica.*

NOTÆ.

NOTÆ.

I.


Christus assumpsit duodecim) con-
sidera Christum omnes assumere; ut
discas, verorum discipulorum Christi esse
crucem ferre, & amare Christi passionem.

II.

Cæco mendico clamante) confide-
ra, quando vis ad Christum clamare,
tibi reluctanti non esse tacendum, ut di-
scas, æquè precibus instare & fortius cla-
mare.

III.

Ut videam) considera cæcum non
opes, sed visum petisse; ut discas non
opes, non voluptates petere, quæ potius ex-
cæcant sed tantum visum, sed tui & Dei
cognitionem.



CASUS.

An omnia ad superiorem sint defe-
renda?

Non videtur i. quia discipuli prohibue-
runt, quo minus acclamaret cæcus

Luc.

Luc. 19. v. 39. 2. *Majestati non convenit.*
 Tac. l. 1. annal. 3. *nec jura volunt, ut ipsi
 magistratus semper judicent. Authent.
 C. de judiciis. 4. Deus ipse jussit ut Moises
 haberet seniores, ne omne onus in se recipe-
 ret. Exod. 18. 13. 5. Nimia familiaritas
 est contempnibilis l. 2. §. 2. ff. de off. pro
 consc.*


Contra Deus 1. ipse audit omnes 2.
 David ipse fecit judicium & justitiam o-
 mni populo 2. Sam. 8. 15. 3. Magistratus in
 propria persona judicare & cognoscere de-
 bet causa probe cognita l. unic. C. Quan-
 do Imper. inter pupil. l. alias perf. mise-
 rat cognoscat. 4. Officium est Magistra-
 tus facere judicium & justitiam 23. quaest
 5. Sic vidua quaedam paupercula, cujus
 causam cum audire recusasset Philippus
 secundus Macedonum Rex, dixit; Rex
 meam nisi audias causam, rex esse non
 potes.

Ad contraria argumenta 1. non proba-
 vit Christus factum discipulorum; sed ut
 Luc. 18, 16. dixit sinite parvulos ad me ve-
 nire. 2. *Majestas potius per hoc ipsum au-
 getur,*

getur, uti & divina, si iustitia exercetur.
 Jura dicunt propterea ipsum magistratum
 solum judicare non debere, quia juris-
 peritiam non semper habet. 4. Deus volu-
 it Moysen iudices eligere non exclusivè sed
 cumulativè, ita tamen ut ille in difficilio-
 ribus audiretur & quidem capitalibus.
 Non interesse quidem debet, sed scire ta-
 men ea tenetur Testaurus in præfat. su-
 per decision. Pedemont. n. 12. Boterus
 l. 2. Polit. illustr. c. 9. Castellanus l. 3. de
 off. reg. Ad 5. loquitur lex de contemptu
 non de aditu, quum expressè habeatur,
 quod se facilem in adeundo præbere debeat:
 at ex conversatione æquali contemptus
 dignitatis nascitur, Gail. de arrest. imper
 c. 10. n. 17. Et Folmus rex Svedorum qui
 milites habuit combibones, per lasciviam
 in dolium cerevisie conjectus periit.

Olaus Magnus.





A sfolet audentes fortuna Deusq; juvare
Cen docet exemplis pagina sacra suis:
Monstrat & assumpsit quando sua pignora secū
Christus, ubi Solymas scandit ad usq; domus
Iridum consummatum praedixit & illa
De se, quod dixit quisq; Propheta prius.
Dixit: tradetur sceleratis gentibus, una
Illudetur & his fabula prorsus erit:
Quando flagellatus morti tradetur, & idem
Surget. At istorum nescius omnis erat.
Vt vero propius venit Hierichuntis ad urbem
Mendicans sedit caecus ad ora viae.
Audiit ut turbam subeuntem, quarit, an esset
Qui de principibus? velle habere stipem.
Dixerunt autem quod pertransiret Iesus
Nazarenus & hunc quod comitata cohors.
Hinc exclamavit dicens: miserere Davidis
O Iesu proles, ah miserere mei!
Qui praecunt audent vocem cohibere, jubentq;
Vllum nec verbum mutiae, ipse modo.
Ausus at ulterius clamare: heus Iesu Davidis
O Iesu proles ah miserere mei.
Stans autem Iesus illum sibi iussit adesse
Quaerit, faciam quid tibi quae cupis?

Is respondendo dixit: quo lumina caeli
 Respiciam, voti summa caputq, mei.
 Dixit ei Iesus visus sua munera praestet,
 Te rursus fecit sola videre fides.
 Vidit & hinc subito sequitur vestigia Christi,
 Et cum prebe Deum laudis honore beat.
 ΚΗΝΙΟΣ hac ausus rursq monstrare: sed idem
 Pergat! & audentem talia, Iova beat.

GUEINZIUS.

ΚΟΤΝΙΩ ΠΑΤΡΙΑΖΟΝΤΙ

εὐπράττειν.

Ως Θεολογίας θρασυκάρδι & εὐπολε-
 μιστῆς

καὶ σοφίας ἐθέλει ὄμμα φαεινὸν ἔμεν,
 ὅς τις ἀερίνης γὰ γενέθλα κακορράφα νικᾷ
 καὶ ἱερὰς ἀχρῆς βέλεται εὐχῆ ἔχειν.
 Κιρνῶν ἢ γλυκύ νᾶμα καὶ ἄστικη πρᾶπίδωσι
 εὐσεβίης ἐρατῆς ἐνθεα ὄπλα φέρων.
 ΚΟΤΝΙΟΣ ἐν μεγάλῃ Πατρὸς υἱῷ ὁμίφρων
 Θεολογίας θεράπων ἐθλὸν ἀγῶν ἔμαθεν
 πωδέων πάλ᾽ ἔσεται πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων
 ἔξει κ' εὐλείας εὐτρεπέα σέφανον.

ὡς θυμῷ πεφιλημένω
 αὐτεχεδιάζει

M. Frid. Cahlenus P. C.

•••••

•

02 A 572
(1/2)

ULB Halle 3
003 808 483



1017




EVANG.

CHRIST.

HALL.

Q2.C





Farbkarte #13

B.I.G.



VITIARUM GELICARVM

stitio Decima sexta

PRÆSIDE
ANO GUEINZIO


ymnasii Salani
Rectore

Respondente

DERICO Rhün J.
teborano Saxonum

ca Quinquagesime.

D.R. cl. l. c. IIII.



LLIS SAXONUM

*edum Melchioris Oel-
schlegely*